

oua saepe & quinquagenis diebus, ne absumentur ab alijs. Cetera femina in triduo excludunt, si mas attigit. Acus siue belone unus piscium dehiscēte propter multitudinē utero parit. A partu coalescit uulnus, quod et i cecis serpētibus tradit. Mus marinus i terra scrobe effossa parit oua, et rursus obruit terra. Tricesimo die refossa aperit, scetumq; in aquam ducit.

De uuluis piscium. CAP. LII.

Rythini & chane uuluas habere traduntur: Qui trochos appellatur à Græcis, ipse se inire. Aquatiliū oīum scetus inter initia uisū carent.

De longissima uita piscium. CAP. LIII.

Eui piscium memorandū nuper exēplū accepimus. Pausilypū uilla est Capanie hand procul Neapoli: in ea i Cæsaris piscinis à Pollio-  
ne Vedio coniectū piscē, sexagesimū post annum expi-  
rasse scribit Anneus Seneca, duobus alijs aequalibus  
eius ex eodē genere etiam tunc uiuentibus: quæ men-  
tio piscinarum admonet, ut paulo plura dicamus hac  
de re, priusquam digrediamur ab aquatilibus.

De uiuarijs ostrearum, & quis ea primus inuenerit. CAP. LIIII.

Ostrearum uiuaria primus oīum Sergius Orata inuenit in Baiano, etate L. Crassi oratoris, ante Marsicū bellum: nec gulæ causa, sed auaritia, magna uectigalia tali ex ingenio suo percipiēs, ut qui primus pensiles inuenit balneas, ita mangoni-  
zatas uillas subinde uendendo. Is primus optimum sa-  
porem ostreis Lucrinis adiudicauit, quādo eadē aqua  
tilium genera aliubi atq; aliubi meliora: sicut lupi pi-  
sces in Tiberi amne inter duos pontes: Rhombus Ra-  
uennæ, murænæ in Sicilia, elops Rhodi: & alia genera  
similiter, ne culinarum censura peragatur. Nondum  
Britanica seruebant li ttora, cum Orata Lucrina no-  
bilitabat: postea uisum tanti in extremam Italiam  
petere Brundisium ostreas: ac ne lis esset inter duos sa-  
pores, nuper excogitatum, famem longæ aduectionis  
à Brundisio, compascere in Lucrino. Eadem etate  
prior Licinius Muræna, reliquorum piscium uiuaria  
inuenit, cuius deinde exemplum nobilitas secuta est,  
Philippi, Hortensii: Lucullus exciso etiam monte iux-  
ta Neapolim maiore impendio quā uillam edificau-  
erat, euripum & maria admisit. Qua de causa Ma-  
gnus Pompeius Xerxen togatum eum appellabat.  
Tricies piscinæ à defuncto illo uenire pisces.

Quis primus murænarum uiuaria fe-  
cerit. CAP. LV.

Murænarū uiuarium priuatim excogitauit C. Hirius ante alios, qui cœnis triūphalibus Cæsaris dictatoris sex milia numero murænarū  
mutuo appendit. Nā permutare quidē pretio noluit,  
aliauē merce. Huius uillam intra q̄ modicam quadra-  
gies piscinæ uenierunt. Inuasit deinde singulorum pi-  
scium amor. Apud Baulos in parte Baiana piscinam  
habuit Hortensius orator, in qua murænā adeo dile-  
xit, ut exanimatā fesse credatur. In eadē uilla, Anto-

nia Drusi, murænæ quā di igebat inaures addidit, cuius propter famā nonnulli Baulos uidere cōcupuerūt.

De cochlearum uiuarijs, & quis primus iustituit. CAP. LVI.

Cochlearum uiuaria instituit Fuluius Hirpinus in Tarquiniesi, paulo ante ciuile bellū, qđ cum Pōpeio magno gestum est, distinctis quidem ge-  
neribus earum, separatim ut essent albæ, quæ in Rea-  
tino agro nascūtur: separatim Illyricæ, quibus magni-  
tudo præcipua: Africane, quibus fecunditas: Solita-  
næ, quibus nobilitas. Quin & saginam earum cōmen-  
tatus est, sapa & farre, alijsq; generibus, ut cochleæ  
quoq; altilis ganeam implerent: cuius artis gloria in  
eā magnitudinem perducta sit, ut octoginta quadran-  
tes caperēt singularum calices. Autor est M. Varro.

De piscibus terrenis. CAP. LVII.

Piscium genera etiā num à Theophrasto mira pro-  
duntur: circa Babylonis rigna, decedētibus flu-  
uijs, in cauernis aquas habentibus remanere. Quosdā inde exire ad pabula pinnulis gradiētes, cre-  
bro caudæ motu, contraq; uenanteis refugere in suas  
cauernas, et in ijs obuertos stare: capita eorū esse ra-  
næ marinæ similia, reliquas partes gobiorum, bran-  
chias ut ceteris piscibus. Circa Heracleam & Crom-  
nam & multifariam in Ponto unum genus esse, quod  
extremas fluminum aquas seſtetur, cauernasque fa-  
ciat sibi in terra, atque in his uiuat, etiam reciprocis  
annibus siccato littore. Effodi ergo: motu demū cor-  
porum uiuere eos approbant. Circa Heracleam ean-  
dem, eodemque Lyco amne decedente, ouis relictis in  
limo generari pisces, qui ad pabula petenda palpitent  
exigujs branchijs, quod fieri non indigo humoris: pro-  
pter quod et anguillas diutius uiuere exēptas aquis.  
Oua autem in sicco maturari, ut testudinum. Eadem  
in Ponti regione apprehendi glacie piscium maxime  
gobiones, non nisi patinarum calore uitalem motum  
fatentes. In his quidem, tametsi mirabilis, est tamen  
aliqua ratio. Idem tradit in Paphlagonia effodi pi-  
sces gratissimos cibus terrenos altis scrobibus, in his  
locis ubi nulla restagnet aqua, miraturq; & ipse gi-  
gni sine coitu. Humor is quidem uim aliquam inesse  
quam puteis arbitratur, cum in nonnullis reperiatur  
pisces. Quicquid est, hoc certe minus admirabile tal-  
parum facit uita subterranei animalis, nisi forte uer-  
mium terrenorum & piscibus natura est.

De muribus Nili. CAP. LVIII.

Verum omnibus his fidem Nili inūdatio affert  
omnia excedentem miracula. Quippe detegen-  
te eo musculi reperiuntur inchoato opere ge-  
nitalis aquæ terræq; iam parte corporis uiuentes, no-  
uissima effigie etiā mium terrena.

De anthia pisce, & quō capiatur. CAP. LIX.

Nec de anthia pisce sileri cōuenit, q̄ plerosq; ad  
uerto credidisse. Chelidonia insulas, diximus  
Asia, scopulosi maris, ante promotoriū sitas:  
ibi frequens hic piscis, & celeriter capitur, uno ge-  
nere